

ceat, juxta & credat *de Deo, & Trinitate, de Mediatore J. C. hujusque satisfactione, ac merito, de peccato, & viribus humanis, de fide, ac bonis operibus, de Sacramentis in genere & in specie, ceterisque primariis doctrinæ salutaris capitibus, quæ Christus & Apostoli docuerunt, aliisque credenda in literas retulerunt.* Hoc tantum intercedit discriminis, quod Ecclesia, quæ ante Lutherum *latuerat* in Papatu, nec fuerat iudicio humano *notabilis*, hoc ipso duce coalescere cœpit in justum quoddam, *visibileque* corpus, & pristinum recuperare nitorem, & omnium oculos non modo incurrere, sed & perstringere.

§. XXXIII. Nec enim est putandum, quasi Lutherus solus dissenserit a multitudine reliqua in papatu, aut venias improbarit, aut sola nos fide in Christum justificari crederit. Imo vero *solidum stat fundamentum Dei, habens hoc signaculum: Nouit Dominus, qui sint sui 2. Tim. II. 29* Multos igitur, ut olim sub Baalismo in Ecclesia Israelitica, reliquos sibi esse voluerat, qui sua genua non inflexerant coram Anti-Christo, vel fiduciam collocarant in veniis, aut operibus, sed detestati *βδελύγματα*, quibus laborabat Ecclesia, simplici fide adhærebant Christo, hujusque unius fiducia erigebant sese ac sustentabant. Horum in numero fuerunt *Bernhardus*, cuius *Lutheranismum* Dn. D. Gözius Sup. Lubec. peculiari schediasmate exhibuit, *Jo. Hussus, Hieronymus Pragensis, Taulerus, Sumerhardus, Jo. Hiltenus, Seb. Brand. Wesselus Gröningensis, Brulifer, Paulus Scriptoris, D. Pfennig, Heimburgius, Rud. Agricola, Nic. Russius, Hier. Savanorola, Jo. Geilerus Keisersbergius, Andr. Proles, Monachus senior Erphord.* qui Lutherum in conscientia trepidum, nec, in quo conquiesceret, habentem, ad articulum Symboli Apost. *credo remissionem peccatorum*, remisit, *alique numero plurimi, quos Catalogo testium veritatis pridem intulit*